

lapso quolibet anno, quod redundat, applicare continuo causis piis; sed possunt eo differre, dum collecta summa sufficiens sit ad faciendas fundationes pias; vel etiam relinquere Ecclesie, vel testamento post mortem aliis usibus piis. Suadetur tamen, ut vel ipsi vivi superflua pie applicent, vel mature de his testamento pie disponant, ne forsan morbo et morte præventi cogantur ea relinquere vel fisco in spoliū; vel consanguineis, ubi hi ab intestato clericis succedunt, in luxum, sicque, citra animæ suæ solatium, experiantur antiquum et tritum illud: *Quod non capit Christus, rapit fiscus.*

ARTICULUS III.

QUENAM POTESTAS ALIENANDI COMPETAT RECTORI, VEL ADMINISTRATORI ECCLESIE, EJUSQUE BONORUM?

236. *Observa I.* Nomine Ecclesie, etsi eo principaliter veniant Ecclesie propriæ tales, extensione tamen juris comprehendi nunc etiam quæcumque loca pia, ut hospitalia, domus religiosæ, clericorum collegia et similia; nam licet LEO imperator *L. jubemus C. de SS. Eccles.* solum loquatur de Ecclesiis strictè talibus; postea tamen Constitutio hæc extensa fuit ad omnem locum pium per *Auth. Hoc jus porrectum c. eod.* quæque refertur in *c. Ea enim 2. Caus. 10. q. 2.* ac veluti canonizata est *c. Nulli 5. de reb. Eccles. alien. vel non.*

Observa II. Nomine alienationis hic veniunt omnes illi contractus, per quos Ecclesia vel amittit jus aliquod, vel gravatur onere; in specie sequentes: 1º. Donatio, venditio, permutatio, *g. Nulli cit. 2º.* Constitutio pignoris, seu hypothecæ saltem specialis, *c. eod. et Extrav. Ambitosæ.* 3º. Concessio nova in feudum, vel emphyteusin, *c. et Extrav. citt. 4º.* Locatio ultra triennium, *Clement. I. et Extrav. Ambitosæ.* 5º. Cessio litis super re Ecclesie alienari prohibita, *c. Dudum 59. de Elect. 6º.* Transactio, qua res Ecclesie, vel possessio ejusdem transfertur in alium; item compromissum; cum enim ex hoc sequi possit translatio rei, vel possessionis in alterum, is, qui rem aliquam alienare nequit, super ea quoque compromittere prohibetur. 7º. Constitutio ususfructus, vel servitutis realis. 8º. Unio perpetua Ecclesie, vel beneficii cum alia Ecclesia, vel beneficio; nam et ad ejusmodi unionem faciendam Episcopus Capituli consensu indiget. *Clement. 2. h. t.*

237. *Dico.* Administratoribus bonorum Ecclesie, prohibitum est immobilia, et mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt, alienare, nisi ob justam causam, et observatis præscriptis solemnitatibus. Constat ex juribus antea citatis.

Dixi autem 1º. *nisi ob justam causam*; sunt vero sequentes: 1ª. *Necessitas*, ut si Ecclesia sit ære alieno gravata, quo se aliter liberare nequit; si aliunde non suppetat, unde ruinam minitans, vel collapsa Ecclesia reparari possit, vel ei provideatur de necessariis ad divina rite peragenda, etc. 2ª. *Major Ecclesie utilitas*, ut si alienando augeantur Ecclesie redditus, velut si rei alienatæ loco comparatur melior ac fructuum feracior, vel commodior, quia Ecclesie vicinior, ac universim, quando rem alienari expedit, velut quando

Ecclesia, nisi alienaret, plus inde incommodi, quam commodi reciperet, *Can. 15. 52. Caus. 12. q. 2. C. 7. et 8. de his, quæ fiunt a Prælat. 3º. Pietas*, ut pro redemptione captivorum, vel pauperum sublevanda necessitate gravi; pro removenda necessitate, vel periculo communi Reipublicæ, modo relinquatur Ecclesie tantum, quantum ipsa exigit ad necessitates proprias ac sustentationem ministrorum.

Dixi 2º. *et observatis præscriptis solemnitatibus*, hoc est, ut duo hæc, justa causa, et solemnitatum observatio requirantur copulative, et alterutrum solum non sufficiat: nisi hic illic observantiam solemnitatum, vel jus ipsum aut consuetudo remittat, vel eæ ob urgentem ac inevitabilem necessitatem servari non possunt; quo casu jus ipsum eas remittere censeatur, cum, quod in Ecclesie bonum alias de jure statutum, in illius detrimentum detorqueri non debeat.

Solemnitates vero præscriptæ sequentes sunt: 1º. Tractatus, quo Prælati cum Capitulo deliberare debet, vel cum illis, ad quos res alienanda pertinet, an expediat alienatio, adsitque una ex requisitis causis. 2º. Consensus majoris partis et subscriptio Capituli, si quod habet Ecclesia, vel aliorum, quorum interest. 3º. Auctoritas et consensus Prælati, vel Superioris, id est ejus, qui ex munere publico præest Ecclesie. Constant hæc ex *Can. sine 52. Caus. 12. q. 2. c. 1. 3. 8. de his, quæ fiunt a Prælat.* Ubi tamen

Observa: quod, etsi tractatus, consensus expressus, subscriptio, spectato jure antiquo citato requirantur solum, dum agitur de alienatione perpetua, donatione, venditione, permutatione, utpote quæ tres species solæ, *Can. 52. et c. 1. 8. citt.* memorantur; juxta *Extrav. Ambitosæ*, tamen probabilius consensus necessarius sit ad cæteras alienationis, etiam temporalis, species ibidem recensitas, excepta sola locatione ad triennium.

238. *Dices 1º. Can. 20. 53. Caus. 12. q. 2.* alienatio permittitur sine solemnitatibus; ergo.

R. D. A. Rerum exigui valoris *C.* immobilium majoris valoris, vel pretiosarum mobilium, et servabilium *N.* Rerum exigui valoris alienatio nullo jure reperitur prohibita, ac proinde censeatur permessa *arg. L. 5. ff. de probat.* Et vero nimis foret difficile administratoribus bonorum Ecclesie in omni ejusmodi rei alienatione adhibere solemnitates; deinde si tutoribus et curatoribus liceat res tales pupillorum suorum et minorum distrahere, *L. 22. et 24. de Administr. Tutor.* cur non administratoribus Ecclesie, cui curatoris loco sunt juxta illud: *Ecclesia est semper minorennis.* Nec refert, quod Prælati, vel Rectores Ecclesie juramento sibi interdixerint alienationem simpliciter; nam juramentum hoc sumendum est juxta terminos et dispositionem juris, cum versetur circa juris materiam, *c. 21. et 35. de Jurejur.* De jure vero talis alienatio non est prohibita. Unde res ex natura sua steriles, ut calices, vasa ac ornamenta antiquata passim Prælati vi consuetudinis alienant, permutant cum melioribus et elegantioribus sine solemnitate ulla.

239. *Dices 2º.* In *c. 7. de reb. Eccl. alien. vel non.* permittitur concessio rei in emphyteusin, vel etiam feudum; ergo.

R. D. Ant. Rei sterilis, ut cultura reddatur fertilis, sicque Ecclesie utilis; item permittitur etiam alias emphyteuticatio, infeudatio rei jam ab anti-

quo in emphyteusin, vel feudum dari solitæ, juxta dicta superius *C. secus N.* Res autem semel alienabilis effecta cum solemnitate, efficitur perpetuo alienabilis sine solemnitate, ut communiter aiunt Doctores. Porro ut res aliqua dicatur solita *ab antiquo* alienari, vel facta alienabilis, ex communi Doctorum exigitur, ut præcesserit una, vel altera alienatio solemnis, et interim elapsum sit spatium 40. annorum.

240. *Dices 3º.* Inter causas alienandi etiam potest esse remuneratio erga benefactores; ergo plures sunt alienandi causæ.

R. Causa remuneratiõis reduci potest vel ad causam necessitatis, si quando gratitudo exigeret aliquam acceptorum beneficiorum compensatiõnem; vel ad causam utilitatis, quando spes esset ea ratione obtinendi beneficii novi.

241. *Dices 4º.* Præter solemnitates supra recensitas, ad alienationem requiritur etiam consensus Sedis Apostolicæ; ergo. *Prob. Ant. PAULUS II.* in *Extrav. Ambitiosæ*, inquit: *Omnium rerum et bonorum Ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem et conductionem ultra triennium, nec non infeudationem, vel contractum emphyteuticum, præterquam in casibus a jure permissis, ac de rebus et bonis in emphyteusin ab antiquo concedi solitis, et tunc de Ecclesiarum evidenti utilitate, ac de fructibus et bonis, quæ servando servari non possunt, pro instantis temporis exigentia hac perpetuo valitura Constitutione prohibemus... Alienanti vero bona Ecclesiarum, Monasteriorum, locorumque piorum quorumlibet inconsulto Romano Pontifice, etc. ingressus Ecclesiæ sit penitus interdictus; ergo.*

R. *D. Ant.* Requiritur consensus Sedis Apostolicæ spectato præcise puncto juris *C.* receptione *Extravagantis cit.* tum consuetudine *N.* vel *T.* Spectato puncto juris necessarius omnino videtur consensus Sedis Apostolicæ, ut vult communissima Doctorum contra paucos, *REBUFF. NAVARR. REDOANUM.*

Si dicas cum his: Pontifex *Extrav. cit.* non videtur exigere consensum Sedis Apostolicæ, quando adest justa alienandi causa, et solemnitas juris antiqui; quia excipit alienationes, quæ fiunt in *casibus jure permissis*; ergo tantum illas alienationes prohibet fieri sine consensu Pontificio, quæ de jure antiquo fieri non poterant; non vero illas, quæ de jure antiquo permissæ: atqui de jure antiquo permissæ erant alienationes cum justa causa et solemnitatibus, sine consensu Pontificis; ergo neque nunc post *Extrav. illam* est necessarius.

R. *N. Ass. Prob. D.* Sic, ut clausula illa: *præterquam in casibus jure permissis*, solum importet illos casus, qui in jure veteri eximuntur a solemnitatibus observantia *C.* ut nunquam necessarius sit consensus Pontificis *N.* Et vero si hic sensus esset, ut nunquam requiretetur consensus Pontificis, hac Constitutione sua plane nihil novi operaretur Pontifex. Casus vero in jure exempti ab obligatione observandi solemnitates sunt ex dictis, si res exigui valoris sint; si res in feudum vel emphyteusin ab antiquo concedi solita; si urgeat necessitas præsens et inevitabilis, nam, *quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. c. 4. de R. J.*

Dixi vero in *Resp. spectato puncto juris*; utrum enim ubique, præsertim

in Germania, recepta sit *Extrav. cit.* admodum dubium est, affirmantibus aliis, aliis negantibus, maxime quoad principes Ecclesiasticos et prælatos exemptos, ut vult *WAGNERECK in dict. Extrav.* Unde hic locorum attendenda consuetudo et praxis. Nec obstat sententiæ negativæ, quod Episcopi in consecratione, et Abbates in benedictione sua juxta Pontificale Romanum jurare soleant, se possessiones ad mensam, vel Monasterium pertinentes non alienaturos inconsulto Romano Pontifice; quia juramentum eo casu hunc habet sensum; *si, et quantum Constitutio hæc recepta sit.*

242. *Dices 5º.* Saltem solemnitates positæ non erunt necessariae, cum res unius Ecclesiæ alienatur in aliam, vel personas Ecclesiasticas; ergo. *Prob. Ant. 1º.* quia *c. 1. h. t.* in permutatione rerum unius Ecclesiæ cum altera præter consensum ambarum partium nihil exigitur. 2º. Quia in *Extrav. Ambitiosæ*, ratio prohibendæ alienationis inconsulto Papa fundatur in hoc, *ne res Ecclesiæ profanis usibus applicentur*; atqui si fiat alienatio in aliam Ecclesiam, vel locum pium, non applicantur profanis usibus.

R. *N. Ant.* Quia 1º. jura aliam eam alienationem sine solemnitatibus prohibentia non distinguunt inter alienationem in laicos, vel clericos, aut aliam Ecclesiam. 2º. Quia *c. 1. h. t.* in 6. nulla declaratur alienatio decimarum facta sine solemnitatibus ab Ecclesia una in aliam.

Ad prob. 1ºm. R. *in c. cit.* hoc solum dici, quod in potestate Episcopi non sit, rem unius Ecclesiæ dare alteri sine utriusque consensu; per hoc vero non excluduntur reliqua in aliis juribus ad alienandum requisita; vel secus, pariter inferam, nec justam causam requiri, quia in *cit. cap.* etiam hujus nulla fit mentio.

Ad prob. 2ºm. R. *N.* hoc pro causa unica ibidem adferri; nam ante verba in *Extrav. illorum, qui profanis usibus applicare præsumunt*, additur particula *præcipue*; unde colligitur, quod quidem hæc potior sit prohibendi ratio, non tamen unica.

Inst. Pontifices prohibendo alienationes rerum Ecclesiasticarum principaliter respexerunt ad utilitatem Ecclesiæ universalis, ne res Ecclesiarum ad laicos perveniant: atqui alienatæ in aliam Ecclesiam manent adhuc in dominio Ecclesiæ universalis; ergo.

R. *N. Maj.* Sed Pontifices censi debent eo respexisse, quod vi sui officii facere tenentur; sed vi hujus non tantum tenentur curare bonum Ecclesiæ universalis, sed etiam particularium secundum intentionem fundatorum et fidelium res suas particularibus Ecclesiis donantium: nec est in potestate Pontificis unam Ecclesiam privare suo jure et tribuere hoc alteri, eo quod Pontifices non sint absoluti rerum Ecclesiasticarum domini, sed tantum administratores et dispensatores supremi, ut tenet communis cum *S. Th. 2. 2. q. 100. ad 7.*

243. *Dices 6º.* Alienatio facta sine justa causa et solemnitatibus, licet sit illicita et prohibita, non tamen propterea est invalida; ergo justa causa et solemnitas non requiruntur ad valorem actus. *Conf. 1.* Ecclesia per alienationem læsa restituitur in integrum *c. 1. et 3. de Restit. in integ.* atqui restitutio in integrum supponit actum esse validum, *L. 13. et §. 3. ff. de Minorib. Conf. 2.* Ut res male alienata restituatur Ecclesiæ, opus est rescis-

sione contractus; *Can. 44. Caus. 12. q. 2 et c. 6. h. t.* dicitur: *viribus vacuetur*; ergo alienatio talis in se invalida non est.

R. N. Ant. Non enim prohibetur solum, sed simul declaratur irrita *Can. 52. Caus. 12. q. 2. c. 1. 3. 8. de his, quæ sunt a Præl. c. 6. h. t.* item *c. 1. 2. in 6. Clement. 1.* Unde

Ad Conf. 1^{am}. D. M. Restituitur in integrum, quando interveniente justa causa, et solemnitatibus adhibitis Ecclesia solum fuit læsa in pretio C. quando vel justa alienandi causa, vel solemnitas defuit N. Sed tunc solum alienatio declaratur nulla.

Ad Conf. 2^{am}. D. Opus est rescissione proprie dicta, et de jure, quæ tollat obligationem, quasi hæc ex alienatione orta esset N. impropria, de facto, nullitatis tantum declaratoria C. Desumitur hæc posterior responsio ex ipso objecto *c. 6. ubi dicitur: viribus, quamvis NB. ab initio nullas habuerit, vacuetur.* Prioris vero fundamentum responsionis *c. 3. de empt. vendit.* continetur.

244. *Dices 7^o.* Ergo etiam invalida erit repudiatio, si Prælatus, vel Rector Ecclesiæ hæreditatem, vel legatum delatum Ecclesiæ suæ repudiet, sine justa causa, et non servatis solemnitatibus. Antè respons.

Observa, variare quoad hoc Doctorum sententias. Valere repudiationem illam volunt LESS. LAYM. SCHMALZGRUB. alique communius; e contra pariter, ac aliam quamvis alienationem invalidam pronunciant GONZAL. PICHLER et, quoad legatum, MOLINA, ENGEL, alique. Cæterum, quin Prælatus sine justa causa repudians hæreditatem, vel legatum delatum peccet, nemini dubium est; tenetur enim ex officio et justitia bene administrare res Ecclesiæ suæ; bonæ autem administrationi adversatur ea repudiatio; unde et propriis bonis damnum illud resarcire tenetur, *c. quicumque 12. q. 4. ubi: si neglectum laboris exhibuit, aut minorationem, vel perditionem induxit, restituit.* Præterea Prælatus ex communiori sententia tenetur adinstar tutoris, qui, si negligentia sua pupillo non acquirit, tenetur restituere, *L. quidquid. C. arbit. tutel.* Hinc quoque dubium non est, competere Ecclesiæ beneficium restitutionis in integrum ob negligentiam Prælati in acquirendo Ecclesiæ suæ lucro, ita ut hujus in optione sit, vel agere contra Prælatum, vel petere restitutionem in integrum. Demum controversia solum est de repudiatione simplici, non autem de cessione, aut permutatione in favorem tertii, quia per talem cessionem hoc ipso hæreditas deberet cènseri prius adita, vel legatum agnitum, sicque esset vera alienatio rei jam perfecte acquisitæ, quæ, omnium rursus consensu, facta sine justa causa et solemnitatibus, est invalida. Nunc

245. R. Cum sententiæ primæ patronis. N. *sequel. 1^o.* Quia talis repudiatio non est alienatio rei Ecclesiæ, sed tantum non acquisitio; ergo neque regulanda est secundum jura veræ alienationis; ergo erit valida, licet facta sine solemnitatibus. Ant. patet ex *L. 28. ff. de V. S. ubi: qui occasione acquirendi non utitur, non intelligitur alienare, veluti qui hæreditatem omittit, aut actionem intra certum tempus datam non amplectitur.* Simile quid dicitur *L. 5. §. 13. ff. de donat. int. vir. et uxor. Conseq.* constabit solutione contrariorum.

2^o. Quia *L. 6. ff. quæ in fraudem credit.* dicitur, quod is, qui, in fraudem scilicet creditorum, repudiavit hæreditatem, vel legitimam, vel honorariam, vel testamentariam, non sit in ea causa, ut hic edicto locum faciat; noluit enim acquirere, non suum patrimonium diminuere, et paulo inferius: *sed et illud probandum est, si legatum repudiavit, cessare hoc edictum, quod Julianus quoque scribit.* Demum *L. 177. ff. de reg. Jur.* ubi: *non fraudantur creditores, cum quid non acquiritur a debitore, sed cum quid de bonis dimittitur.* Unde sic: Juxta allatas leges debitor in fraudem creditorum legatum, vel hæreditatem repudiat valide; ergo et Prælatus Ecclesiæ, quia solida disparitatis ratio adstrui vix potest: imo par utriusque ratio consistit in eo, quia talis debitor, aut Prælatus nihil alienat, cum nihil acquisierit; jus enim hæreditatem adeundi, vel agnoscendi legatum, quo multum nituntur adversarii, non est proprie in bonis nostris, *L. pretia rerum. ff. ad L. Falcid.* sed tantum desinit acquirere.

Ac licet legatum consistens in specie transire dicatur a morte testatoris in legatarii dominium, nec ad id exspectetur aditio hæreditatis, *L. a Titio 64. ff. de furtis,* ut proinde ea repudiatio videatur esse diminutio proprii, in qua proprie dicta alienatio consistit; revera tamen alienatio non est; quia hoc dominium legati solum imperfectum est, et revocabile ante acceptationem, verbo, conditionatum, sive sub tacita conditione: *nisi repudietur*; si igitur postea repudietur, censetur fictione juris nullum fuisse dominium, *L. 1. v. utrum autem. ff. si quid in fraud. pat.* ubi: *quamvis enim legatum retro nostrum sit, nisi repudiet: attamen, cum repudiatur, nostrum non fuisse palam est.*

246. *Si ais 1^o.* Repudiatio hæreditatis et legati est alienatio saltem late sumpta omnium consensu, ex *L. 5. §. 8. ff. de reb. eor. qui sub tut.* ubi: *fundum autem legatum repudiare pupillus sine Prætoris auctoritate non potest; esse enim et hanc alienationem, cum res sit pupilli, nemo dubitat: atqui alienatio, quatenus est nociva Ecclesiæ hoc loco sumitur late; ergo.*

R. 1^o. *L. 5. cit.* loqui de pupillo tutelæ subjecto, quique omni caret administratione; secus esse de Prælato, qui ipsam administrationem habet; ac vocari posse eam repudiationem improprie alienationem; cum dominium legati non omnino transferatur ante tutoris acceptationem, quam, etsi omiserit tutor, supplere poterit Prætor.

R. 2^o. *D. min.* Sumitur late, hoc est, extenditur ad omnes eos casus, quibus quomodocumque Ecclesia amitteret aliquid jam vere acquisitum, vel pateretur diminutionem proprii C. quibus tantum aliquid non acquiritur. *subd.* Ut hæc non acquisitio sit saltem prohibita C. simul invalida N. Alienatio in favorem Ecclesiæ late sumitur, dum sub ea comprehenduntur etiam constitutio usufructus, servitutis realis, abdicatio actionum rerum immobilium, aut pretiosarum mobilium, compromissum et similes casus, in quibus saltem periculum est, ne Ecclesia aliquid, quod possidet, perdat; at propterea non debet nimis late sumi, nec latius, quam ipsa jura sumant, sive extendi ad actus, qui alienatio non sunt, ut non acceptatio, non acquisitio; sic enim et Prælatus solus communiori sententia potest remittere caducitatem emphyteutæ, valetque hæc remissio, nec committitur alienatio. Deinde largimur, non solum alienationem, honorum dilapidationem, sed

etiam omissionem lucri esse prohibitam æque, ac si esset alienatio; at non æque utrobique requiritur solemnitas; sed tunc solum, quando vere et proprie alienantur res Ecclesiasticæ.

247. *Si ais 2º.* Per delationem hæreditatis acquiritur Ecclesiæ jus accipiendi et adeundi hæreditatem; sed hoc jure quæsito privat Ecclesiam Prælatum hæreditatem repudiens. Item rei legatæ dominium, et jus in re acquiritur Ecclesiæ etiam ignoranti et ante traditionem, *L. 77. § 3. L. 80. ff. de Legat. 2.* unde fit, ut pro rebus sibi legatis habeat vindicationem pene perpetuam, *L. 23. C. de SS. Eccles.* ergo Prælatum committit speciem alienationis, dum hæreditatem, vel legatum repudiat.

R. Ad 1^{um}. N. Cons. Licet enim Prælatum non adeundo hæreditatem, vel non agnoscendo legatum agat contra jus Ecclesiæ adeundi et accipiendi, atque hoc solum latiore sensu eam hoc jure privare dici possit, ac propterea etiam ex dictis peccet, nihil tamen alienare dici potest, cum in nullo diminuerit patrimonium Ecclesiæ; nec enim per hæreditatem vel legatum delatum præcise, ac proin per jus adeundi vel accipiendi censetur quis in jure factus locupletior, *L. pretia rerum. 63. cit. ff. ad L. Falcid. juxta quam si hæres institutus sim, antequam adeam, non sum locupletior, proinde neque etsi servus meus fuerit institutus hæres, antequam meo jussu adierit; sed tunc mihi acquirit, cum adierit; tum additur: esse autem præposteriorum, ante nos locupletes dici, quam acquisierimus.*

Ad 2^{um}. Jam dictum, quod per delationem hæreditatis aut legati non acquiritur Ecclesiæ dominium ac jus absolutum, perfectum, irrevocabile, sed conditionate, si is, qui hæres, vel legatarius vocatus est, hæreditatem adeat, vel legatum acceptet; ergo Prælatum repræsentans Ecclesiam, non adeundo vel non accipiendo, sed repudiando, non privat illam jure jam absolute et perfecte quæsito; quare nec quidquam alienasse dici potest.

248. *Si ais 3º.* Si Prælatum repudiet hæreditatem, vel legatum repudiatione non simplici, sed in favorem tertii, agit invalide, quia si cedat in favorem tertii, prius adire hæreditatem, vel agnoscere legatum debet, qua acceptatione, vel agnitione dominium absolutum et perfectum acquiritur Ecclesiæ, quo illam privat rem cedendo alteri; ergo etiam dum repudiat repudiatione simplici, quia per delationem hæreditatis, vel legati acquiritur Ecclesiæ jus absolutum adeundi hæreditatem, vel accipiendi legatum, quo illam privat Prælatum.

R. C. Ant. N. Cons. Quia in primo Prælatum vere donaret, et alienaret, cum diminueret patrimonium Ecclesiæ; eo ipso enim quod cedat in favorem tertii, etiam prius natura saltem et tacite adit, ut cessio sit efficax, *L. Si avia C. de Jure delib.* Qui enim vult aliquid, censetur velle omne id, quod ad ejus efficaciam necessarium est, *arg. L. 2. ff. de Jurisd. omn. jud.* ac licet illa aditio sit tacita, idem tamen operatur, ac si esset expressa: atqui aditione hæreditatis, vel acceptatione legati hæc erant de patrimonio Ecclesiæ, quia in pleno ejus jure et dominio, perque aditionem vel acceptationem erat vere facta locupletior juxta num. præc.; ergo repudiando vel cedendo in favorem tertii vere diminuit patrimonium Ecclesiæ privando illam domino absoluto; in qua diminutione consistit alienatio. E contra in posteriori, licet

Prælatum agat contra jus Ecclesiæ, nihil tamen alienat, quia in nullo ejus diminuit patrimonium, cum præcise per jus adeundi vel accipiendi nemo censetur locupletior factus; si ergo repudiatio simplex non sit alienatio, neque etiam hujus regulari juribus debet, nec dici continuo invalida sicut alienatio. Quin jus adeundi, accipiendi infirmum est, et remotum, nec jure censetur esse in bonis nostris, ut apparet ex *L. pretia rerum. cit.* tum multis aliis, tum inde, quod debitor oberatus citra revocationem jus illud repudiare possit.

249. *Si ais 4º.* Nihil interest, sive repudiatio hæc dicatur valida, sive non; ergo.

R. N. Ant. Multum interest; quia, si actus est validus, alius succedens in hæreditate, vel legato sine causa justa ac solemnitatibus repudiato, tam hoc, quam illam bona conscientia retinet. Deinde repudiens non incurrit penas, quæ tum in male alienantes, tum eum, qui rem sic alienatam detinet, latæ; cum repudiatio non sit alienatio. Pænæ autem sunt sequentes: si alienans sit Episcopus, vel Abbas, tenetur interdicto ingressus in Ecclesiam; sique sex mensibus in hoc interdicto perstiterit, suspensione ipso jure ab omni regimine: si vero sint clerici inferiores, incurrunt excommunicationem, ac juxta multos ipso facto, simulque privantur beneficiis, quorum bona alienarunt, *Extrav. Ambitosæ.* Eadem contrahunt, qui res sic alienatas recipiunt. *Ibid.*

ARTICULUS IV.

AN ET QUALE DOMINIUM COMPETAT RELIGIOSIS?

250. *Proœmium.* Religiosorum nomine ii soli proprie veniunt, qui in aliqua religione approbata emiserunt tria consueta vota, paupertatis, castitatis et obedientiæ; unde novitii, etsi privilegiis sui religiosi ordinis gaudeant, veri tamen nominis religiosi nondum sunt. Considerari possunt religiosi dupliciter, vel ut integram aliquam singuli communitatem aut Monasterium constituunt, vel ut personæ particulares et privatæ sunt.

Communitates religiosas capaces esse domini bonorum temporalium sive mobilium, sive immobilium, communis est omnium pene contra NAVARRUM sententia, volentem, rerum, quas possident, dominium penes Christum esse; neque enim ullum assignari fundamentum potest, unde illa communitatis religiosæ incapitas proflueret: non enim est ex ordinatione Ecclesiæ, vel præcepto divino, quia nihil horum ostendi potest; neque ex voto, vel intentione voventium, quia voto paupertatis tantum in persona vovente vel dominio, vel usus independens excluditur; non vero in communitate, imo hujus juri vovens, etsi vellet, sine auctoritate Ecclesiæ præjudicare non potest. Quin Tridentinum *Sess. 25. cap. 3. de regularibus*, hoc dominium in communitate non obscure asserit, dum inquit: *Concedit sacra Synodus omnibus monasteriis, tam virorum, quam mulierum, etiam mendicantium, exceptis domibus Fratrum S. Francisci, Capucinorum, et eorum, qui Minores de observantia vocantur, etiam quibus aut ex constitutionibus suis erat*